DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS
CONSTITUTIONEM ANNUAM,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI ET MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE OBTINENDA IN CELEBERRIMA
ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Isidorus Kletzl,
Moravus Neslovicensis.

In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die mensis Junii anni 1838.

VINDOBONAE.
Typis Congregationis Mechitaristicae.

Derjenige, welcher ein Fieber zu heilen unternimmt, ohne die Natur der jetzt herrschenden epidemischen Constitution zu kennen, ist nichts weiter, als ein Quacksalber, und verdient als eine Pest aus der bürgerlichen Gesellschaft verbannt zu werden.

William Grant.

ADMODUM

REVERENDO DOMINO

FRANC. MIKOLASCHEK

PAROCHO BRUNNII

AD MONTEM PROPE VIENNAM SITI.

VIRO
SCIENTIA, ACRI INGENIO, MORUM CANDORE
NEC NON
HUMANITATE AEQUE INSIGNI,
FAUTORI SUO OPTIMO
ET
FRATRI CONSOBRINO DILECTISSIMO
IN
PERENNIS GRATITUDINIS, PII AMORIS ET
SUMMAE VENERATIONIS
MONUMENTUM
HAS SCIENTIARUM ACADEMICARUM PRIMITIAS
SACRATAS ESSE VULT

addictissimus
Isidorus Kletzl.

Vir venerande!

Censobrine dilectissime!

Dissertationem hanc inauguralem medicam in lucem mittens, studiis valedico academicis, et novam quasi epocham vitae meae ingredior. Hucusque autem peractae momenta animo pervolvens, liberalis **Tuae** erga me benevolentiae et amoris documenta adeo grata memoria quotidie mecum repeto, ut summo nunc gaudio opportunitatem non arripere nequeam, **Te** eximium meum fautorem publice agnoscendi, colendique. **Tua**

vero singularis erga me benignitas ac propensio, **Tuus** scientiarum amor fervidus, mihi abunde cognitus dulci me mulcent spe, benevolo ac sereno vultu **Te** tenellas hasce primitias literarias excepturum.

Vale et Fave

devinctissimo consobrino
Auctori.

Praefatio.

Quum ferreus sit legum academicarum ordo, ut quilibet candidatorum, ad doctoratus lauream adspirans, etiamsi inexercitatus, ut ultimo exsolvatur officio, auctoris personam agat, non est, quod ejusdem munus obire erubescam. Doctrinae vero omnino gravis, medicorum rationalium in statuenda diagnosi, prognosi et therapia attentione dignissimae, imo inevitabilis, ast proh dolor! nostris in temporibus adhuc sat neglectae — *constitutionis* nempe *annuae* brevem ac succinctum conspectum exarandum suscepi. Haec doctrina, quae Hippocratem, assiduum et fere vix fallendum naturae observatorem, auctorem agnoscit, a Baglivio, Ballonio, Sydenhamo, Huxhamo, Grantio, Stollio, van Swietenio, Wittmann, Kletten, Haeberl aliisve magis exculta

fuit. Verumvero opusculo ad finem perducto demum intellexi, ne eligendis quidem et in unum congerendis, quae in vastis operibus circa hanc doctrinam exstant, praesidiis, uti in votis esset, vires pusillas meas suffecisse, quod eheu! profunde lugeo.

Introductio.

Fragilis terrae prosapies, genus humanum, varium rato tempore vitae tenorem contrahens, duplici influxuum nociferorum serie infestatur. Una, magis accidentalis, nonnisi singulorum hominum vitae insidiatur, eamque a sanitatis terminis detrudit; exsurgunt inde morbi sic dicti *solitarii* (sporadici). Altera, variis vitae mundanae metamorphosibus, variis utpote revolutionibus cosmico-telluricis, aërem atmosphaericum qua vehiculum agnoscentibus, extricata, plures mortalium et saepe permultos adoritur, communibusque calamitatibus adfligit; morbi inde nati *pandemii* audiunt.

Complexus rerum et conditionum in aëre atmosphaerico delitescentium et morbis pandemicis occasionem largientium *constitutio pandemia* audit.

Constitutio pandemia, prout ad spatium vel ad tempus refertur, iterum in *epidemiam* et *endemiam* distinguitur. *Prior* causis communibus per provincias, regiones ac urbes expansis, non persistentibus, ideo variabilibus generata pro diverso iterum, quo durat, temporis spatio et pro diversa conditione, in *stationariam*, *annuam*, *intercurrentem*, *menstruam*, et *diurnam* discedit. *Posterior* illa atmosphaerae vis est morbifera, quae effectum sistit causarum domesticarum, i. e. a certis circumstantiis localibus pendentium, certisque locis ac regionibus adligatarum, ideoque fixarum et perstantium, utut quandoque in actione sua impeditarum.

Mihi in sequentibus de *constitutione annua* sermo erit.

De constitutione annua.

§. 1.

Aër atmosphaericus summus vitae organicae gubernator. Enimvero conservationem sui corpora omnia organica hoc vitae vehiculo ita instituunt, ut ejus partem in producendam et reproducendam materiam organicam convertant, aliis autem proprietatibus atmosphaerae: luce, calore, principio electrico etc. nervorum et sensuum aciem exerceant. Hoc tamen fluidum vivificans ob praepotentem vim siderum in terram nostram, quemadmodum propter continuum influxum processuum magneticorum et galvanicorum subterraneorum, nec non aquarum et vegetationis organicae in ejus constitutionem, multas vicissitudines et proin vitae organicae tenorem ac temperiem multifarias alterationes pati, pro comperta re polliceri licet.

Missis omnibus reliquis nonnisi, quae ex anni temporibus scaturiunt vicissitudines, in aëre atmosphaerico patentes, et quae inde exsurgunt vitae alteratae manifestationes, nostram exercebunt attentionem.

§. 2.

Repetitae ab Hippocrate ad nostra usque tempora observationes, utilissimam hanc in exercenda arte medica doctrinam confirmarunt, a manifestis nempe aëris qualitatibus corpora humana variis anni partibus varie affici, atque in hos vel illos morbos procliviora reddi. Quis enim nescit, verno tempore homines pleuritidi maxime obnoxios esse, augusto mense choleram praeprimis observari, dysenteriam autumno dominari? ita quoque febrium, hac illave anni parte humana corpora infestantium, alia atque alia indoles, cujus ratio sufficiens in aëre, corpora animalia ambiente, compagem solidorum et crasin fluidorum mutante evidenter posita est. Id tamen non ita intelligendum est, ac si morbi hi non etiam alio anni tempore compareant, ut etiam verno tempore dysenteria laborantem aegrum, at-

que fervida aestate pleuriticum reperias; at de pluribus una decumbentibus aegris eam legem valere, observationibus comprobatum est. Qui autem huc atque illuc exleges occurrunt aegri, a priva potius corporum, quam generali tempestatum constitutione dependent.

Praeterea non sicco pede praetereunda est observatio, haec quidem, ad certa quoque anni tempora adstrictas esse morborum exacerbationes. Silent enim morbi, licet non plurimi, qui hominem exercuerunt, certis anni temporibus, aut saltem his adeo se praebent mansuetos, ut homo jam morbo suo penitus vacare videatur, quem alio anni tempore crudeliter experturus est. Torquet cum mira constantia arthritis legitima sibi subditos adulta hieme primoque vere. Omnes propemodum nervorum morbi diuturni vere facile recrudescunt. Ver adultum calidumque sanguinis profluvia revocat Autumno tabidi, quos aestas refecit et paulo recreavit, iterum vehementius laborant et, viribus interdum sat illico confectis, celeri gradu ad extremam perducuntur rerum humanarum lineam. Quae observatio, quam utilissima sit prudenti medico, vix dicere attinet. Si hostem e longinquo prospicit medicus, eos certe, qui ejus justum metum habere debent, optimis consiliis munire poterit, salutique eorum ita consulere, ut a morbo suo vel immunes salvique maneant, vel si hoc minus praestandum fuerit, aut prorsus fieri nequeat, morbum suum tamen multo benigniorem experiantur.

§. 3.

Terra nostra non tantum circa axin suam quotidie rotatur, et sic dierum et noctium vicissitudinibus ansam praebet, sed etiam cursum circa solem sub peculiari circa eum situ et motu quotannis absolvit. Enimvero natura, sive potius naturae summus auctor et conditor eum telluri ad ejus axin positum eumque circa solem motum dedit et definivit, ut diversis et legitime sese excipientibus anni temporibus orbis terrarum habitabilis fieret. Sine hoc anni temporum ordine inhospitalis fuisset orbis terrarum et vix

per exigua temporis spatia habitabilis, quum in telluris regionibus, soli semper adversis, vim vitae mox consumsisset immanis pepetuusque solis ardor, in iis autem regionibus, quas sibi aversas sol numquam illustraret, gelu horridum perpetuumque flammam vitalem mox exstinctu rum fuisset. Unde mirum non est, perpetuam et constantissimam observationem medicos docuisse, anni tempora, legitime ratione tempestatis decurrentia et sese excipientia, summam naturae in genus humanum esse benevolentiam, ita ut cum paucioribus morbis iisque bonae indolis conflictetur, sub contraria autem anni temporum et tempestatis conditione longe plurimos experiatur eosque valde exitiales.

§. 4.

Patet ex ante dictis, anni tempora secundum aeternas naturae leges sese excipere, eorumque quodque, sua tempestate distinctum, statis periodis redire. Est igitur horum anni temporum certus aliquis ordo, certa aliqua successio, a natura terrae circa solem cursu definita. Qui alterius anni temporis in alterum transitus cum mutationibus utique, maxime circa aërem et tempestatem et quidem caloris et frigoris, siccitatis et humiditatis, principii electrici et aliarum circumstantiarum nedum sat cognitarum rationes conjunctus est. Quum tamen hic transitus non subito, sed paulatim fiat, satis elucet, naturam omnia corpora viventia, plantas, bruta hominesque a subitaneis tempestatis mutationibus et vicissitudinibus ipsis infestis et facile nocituris avertere voluisse. Hinc fit, ut homines omnino sani suetis illis tempestatis mutationibus, quas anni tempora legitime afferunt, minime laedantur.

Quid? quod, si effectum spectemus, quem in hominis valetudinem anni tempora generatim exerceant, praesidio esse consuevit subsequens anni tempus, si praegressum mali quid natura sua portenderit. Hiemalis rigor et torpor grato veris tepore solvitur; veris mutabilitas homini catarrhis et rheumatismis molesta, constante aestatis calore

emendatur. Autumnus, ob tempestatis vicissitudines morborum feracissimus, si quando aestatis ratione tempestatis constantiae, satis aemulus fuerit, hominis valetudini minime insidias struit, hominem potius ad hiberna frigora eaque serena et non nimis acria praeparat.

§. 5.

Ex his omnibus colligitur, morborum occasiones ex legitima anni temporum successione infirmis tantum corporibus plerumque enasci, aut et robustis, ad cavendas aëris injurias minus cautis. Enimvero, quum infirmorum corporum non minima pars sit, et vel prudentissimus errorem non semper evitet, sub legitimo etiam anni temporum decursu justaque successione homines aegrotare solenne est, morbis quidem, quos singula anni tempora fere proprios habent: unde ab antiquissimis temporibus morbos medici in *autumnales*, *hiemales*, *vernales aestivosque* partiri consueverunt; unde etiam quatuor febres cardinales, quatuor anni temporibus correspondentes, statuebantur: *febris inflammatoria, febris nervosa* et *intermittens*, *febris biliosa* et *pituitosa*, ad quas innumerae aliae febres, externa specie maxime dispares, et in diversis autoribus diversis insignitae nominibus facili reducuntur negotio.

§. 6.

Verumvero non semper morborum, ex vicissitudinibus anni temporum propullulantium, eadem deprehenditur indoles ac dignitas. Sunt enim alii, qui sub legitima anni temporum successione nonnisi homines infirmos vel etiam robustos, ast consentaneum regimen diaeteticum spernentes infestant; hi *sporadice* grassari dicuntur. Quodsi vero anni tempora tempestatis inconstantia, magnis et subitaneis ejus mutationibus denotantur, vel si, ut hinc inde fieri solet, tempestas aliqua, minime ad unum anni tempus adstricta, plurimam potius anni partem occupat, tunc mala haec anni constitutio morborum cum *charactere* vere *epidemico* incedentium ferax evadit.

Complexus vicissitudinum, in aëre atmosphaerico delitescentium, quales anni tempora successive sese excipientia producunt, quaeque morbis sic dictis annuis occasionem largiuntur, medicis sub nomine *constitutionis annuae* venit; quae iterum pro quatuor diversis anni temporibus in *vernalem*, *aestivam*, *autumnalem* et *hiemalem* discedit.

§. 7.

At quanam lege morbi annui, quae nempe ab annuarum tempestatum mutationibus oriuntur, se invicem excipiant, longa tantum annorum serie a medicis, in observando attentissimis, potuit observari. Certe enim aëris atmosphaerici quoad lucem, calorem et frigus, siccitatem et humiditatem, densitatem et tenuitatem, ventos et electricitatem conditiones, quae cum certis anni temporibus periodice recurrere, certumque eorum stadium explere solent, vel ut Sydenhamus ait, variae anni temporum crases, certas valent diatheses organismo inducere, et ubi causae occasionales simul egerint, morbos annuos intendere et evolvere.

§. 8.

Nunc tandem ad delineandas, quae singulis anni temporibus competunt, constitutiones devenio. Sed quum singula anni tempora non adeo strictis a se invicem sepiantur limitibus, sed unum successive in alterum transeat, quum, quae adulto aliquo anni tempore solennis est tempestas, non per omne hujus curriculum vigeat, in depingendis singulis constitutionibus annuis initia, acmen et fines distinguere oportebit. Singula anni tempora peculiares revera diatheses agnoscere, initiantia et terminantia ex praecedentibus et subsequentibus indolem suam participare, non est, qui ignoret. Etenim morbi, hieme emoriente et primo vere in conspectum prodeuntes, indolem prae se ferunt hiemalium, sicuti primo autumno exsurgentes aestivorum indolem aemulantur. In singulis anni temporum constitutionibus illustrandis, communem potius morborum indolem ejusque causas exponendo, quam morborum species fusius depingendo brevitati studebo. Quo opere absoluto, causarum constitutio-

nem annuam modificantium mentionem, generalia quaedam prognostica et therapeutica subjungere e re quoque erit.

Constitutio vernalis.

Autumnus longe periculosissimus, ver autem saluberrimum.

Hipp. Aphoris. IX.

Vere quidem insaniae, et melancholiae, et epilepsiae, et sanguinis fluxus, et anginae, et destillationes, et raucedines, et tusses, et leprae, et lichenes, et vitiligines, et efflorescentiae ulcerosae plurimae, et tubercula, et arthritides.

Ejusd. Aph. XX.

§. 9.

Tempus vernale, quod nobis in locis non nimis elatis a degelatione soli incipit, in incunabulis suis constitutionem magis hiemalem, ast non constantem prae se fert, in progressu grata tempestate superbiens, tandem constitutionis aestivae fit aemulum. Ver igitur primum propter aëris asperitatem subitasque ejus vicissitudines, moto hinc inde calore praematuro, organismis praeprimis infirmis non nocere non potest. Hiems enim reparandis humoribus nutritionique promovendae destinata corpus effecit vegetum et succis sanguineque opimum. Hic veris calore expansus turget, vasa, in quibus circulat, exstimulat et versus cutem et membranas mucosas, praeprimis viarum respiratoriarum rapidiori fertur impetu. Quae organa, quum tunc temporis maxime fungantur, non mirum, cur tempestatis vicissitudinibus subitaneis auxiliantibus ex horum organorum functione perturbata morbi adeo frequentes exsurgunt. Causat igitur turgor major humorum, praecipue seri et muci et materierum durante hieme non sat excretarum morbos catarrhales, praecipue aëriarum viarum, gastricos, rheumaticos, exanthematicos, ultimos saepe periculosos, eruptiones arthriticas, congestiones sanguinis prae ceteris cerebrales, unde apoplexia vernalis et profluvia sanguinis. Quorum morborum per crises legitimas solutioni, quum tempestas hujus anni tem-

poris minime faveat, facile concipitur, cur pseudocrises et proin morbi posthumi adeo sint frequentes, cur character adynamicus saepe saepius evolvatur. Fervorem tempestate vernali systemati sanguifero communicatum pulmones, si antehac phthiseos germina in se reconderint, sine nova inflammatione ulcerumque vehementissima irritatione prorsus ferre nequeunt. Hinc fit, ut plurima pars phthisicorum hieme fors refectorum tempore vernali supremam obeat diem. In hoc quoque tempus febres incidunt intermittentes, tertianae plerumque, epidemice hinc inde grassantes, quae indolis ut plurimum inflammatoriae judicatu faciliores sunt, ac autumnales.

Ver adultum aestati finitimum tempestatis vicissitudinibus, quae in primo vere adesse solent, non adeo excedit, caloreque nondum nimio sed moderato potius gratum est. Moderata illa inter calidum et frigidum, humidum et siccum veris maxime adulti temperies corporis nostri humores blando expandit calore, fibrasque partium solidarum moderata sua humiditate modice relaxat, adeoque motum sanguinis progressivum, se- et excretiones, praesertim vero insensibilem illam seri perspirationem mirum in modum adjuvat. In puerili aetate primaque adolescentia perficiendo corpori per laetum incrementum debitumque robur imprimis tempore vernali natura studet. Hinc ex hac veris tempestate certe saluberrima, si eandem aestas continuat, nonnisi optima quaeque sanis aegrotisque augurari licet. Inde explicabis, cur morbi chronici, qui alio anni tempore omnibus artis conaminibus fortissime restiterant, tempore vernali evanescant, vel saltem emendentur, cur morbi, vere adulto, crisibus solemnibus et legitimis utplurimum judicentur. Diversi morbi chronici: paralyses, epilepsiae, convulsiones, melancholia, fatuitas, infarctus, scrophulae, chlorosis, rheumatalgia aliique per febres modice inflammatorias sanari dicuntur. Quod si fit, veris adulti et primae aestatis adminiculo potissimum contingit. Hinc etiam effectum salutiferum, quem thermarum usus post se trahit, pro magna parte constitutioni vernali aestivaeque primordiis adscribes,

quum thermarum usum tempore autumnali institutum non solum non levamen, sed potius gravamen morbi adferre constet.

Etiamsi veris calor minime corpus debilitat, et cerebro imprimis nervisque amicus est, tamen, si nervi natura debiles et justo sensiliores sint, et simul sanguinis turgore frequentiorique ejus motu irritentur, facile in spasmos abripiuntur. Quum enim tempore vernali corpus organicum ad altiorem evehatur vegetationis gradum, et simul eo tempore auctus oriatur nisus, nociva e corpore eliminandi, motus vitae sensiferae morbosi, dispositione favente, in scenam prodeant necesse est; hinc hypochondria, hysteria, melancholia, mania, chorea St. Viti et epilepsia tempore vernali vel primum evolvuntur, vel saltem exacerbantur, quorum morborum hoc annni tempore hinc inde per salutaria sanguinis profluvia et eruptiones cutaneas medela adfertur.

Constitutio aestiva.

Aestate autem et horum nonnulli, (vernalium morborum) et febres continuae, et ardentes, et tertianae plurimae, et vomitiones, et alvi fluxus, et ophthalmiae, et aurium dolores, et oris exulcerationes, et putredines genitalium, et sudamina.

Hipp. Aph. XXI.

§. 10.

Aestas prima, a veris adulti et emorientis constitutione vix abludens, sanitati valdopere quadrat, a progrediente vero aestate vita omnis sensifera et reproductiva manifestas experitur vicissitudines. Tempestas enim aestiva, calore et luce nimia denotata, corpora viribus exsolvit, atque imprimis vim cerebri nervorumque debilitat, ita quidem, ut ad motus segnes se praestent musculi, qui voluntatis jussa exsequuntur, mens torpeat, caput obnubiletur et sensus, quos externos dicere consuevimus, hebetentur; auditus maxime obtunditur, aëre etiam propter humiditatem minus elateris habente. Aestate provecta materies organica facile expanditur, fibra omnis mollescit et languet, sudor pellitur

et alvus laxatur, latex sanguinolentus crassamento suo spoliatur, et in venosam deficit indolem et ita destructione globulorum sanguineorum et fibrinae et adaucta seri copia ad resolutionem, putredinem disponitur. Ita constitutus sanguis naturali nisu ad systema venae portarum et organa bilifera majori mole vehitur, oriturque corporis constitutio, quam *biliosam* numcupamus.

Quapropter mortales tunc temporis a morbis biliosis infestari, vix mirum habebitur. Etenim si sueto fit naturae ordine, ut sub aestate fervidiori constitutio biliosa principatum teneat, haec non solum suos propriosque morbos, febres quidem biliosas in scenam producet, sed etiam multifariis aegritudinibus, specie et forma mirum quantum diversis, hominum saluti insidiabitur. Prodeunt, morbo bilioso stationario, praeter febres evidenter biliosas omneque morborum genus bile exasperatum, affectiones morbosae plurimae, sede formaque diversissimae, ut vix ex communi aliqua causa repeti posse videantur, quae tamen nil sunt, nisi tot unius ejusdemque morbi biliosi larvae et umbrae, una eademque morbi biliosi curatione et detegendae et fugandae. Sic Haeberl classicae de febribus annuis monographiae, Stollii ingenium spirantis auctor varios adfectionum lusus in febre aestiva observavit. Secundum eum ferocissima deliria, lippitudines, tubercula ad aures, dentium dolores, strumae, anginae, peripneumoniae ac pleuritides, sanguinis profluvia ex naribus, pulmonibus, utero crebra, vomitus assidui, biliosi enormes, in consuetudinem versi, alvi profluvia, cholerae, dysenteriae, urinarum difficultates, febres intermittentis generis, tertianae exquisitae et duplicatae, febres continuae ardentes, efflorescentiis stipatae, miliares, petechiales, scarlatinosae, bilioso-putridae, putrido-malignae ex eadem scaturigine biliosa promanabant.

Constitutio autumnalis.

Autumnus tabidis malus.

Hipp. Aph. X.

Autumno autem et aestivorum multi, et febres quartanae, et erraticae, et lienes, et hydropes; et phthises, et stranguriae, et laevitates intestinorum, et difficultates intestinorum, et coxendicum dolores, et anginae, et asthmata, et volvuli, et epilepsiae, et insaniae, et melancholiae.

Ejusd. Aph. XXII.

§. 11.

Autumnus initians nobis plerumque siccior, calore moderato, frigore nocturno leviori insignis, potius adhuc residuam constitutionem aestivam morbosam, quam propriam gerit, quemadmodum primi veris constitutio hiemis emorientis vestigia prae se fert. Hinc, quos aestas protulit, morbi forma fere eadem conspicui in autumnum quoque poriguntur, etsi mores plerumque haud parum mutent. Ex omnium medicorum testimonio constat, morbos in hac prima autumni parte, acutos maxime, in putredinem valde esse proclives, praesertim, si aestatem ultra modum fervidam autumnus exceperit subito humidior frigidiorve, aut quod fere pejus est, si caloris frigorisque vicissitudines vel quotidie hominum corpora exerceant. Unde aliter fieri nequit, quin vires majorem in modum debilitentur, corporaque minus repurgentur, perspiratione cutis toties intercepta, bileque quam fervida aestas movebat, jam veluti evagante, et exitum quaerente et tum vasa sanguifera, tum nobiliora abdominis viscera irritante. Tales morbi, ex tot viscerum iniqua adfectione conflati et compositi, languente imprimis vi vitae, nec legitime decurrunt, nec in plurimis saltem exemplis, alium, quam funestum exitum habere possunt. Sint exemplo febres ardentes, alvi fluxus, maxime dysenteriae et febres intermittentes quartanae, de quibus, etiamsi in genere disserere statuerim, tamen, ut supra effati documentum edatur, specialiora addere juvabit. Intermittentes quar-

tanae, ante detectum divinum corticem olim mire refractariae et diuturnae, praeter bilem, maxime mucum, sive veterum loquendi more, pituitam prae se ferunt, et primo viscerum partiumque, quae in abdomine reconditae ex alimentis succum nutritium parant, huncque ad sanguinem vehunt, deinde totius corporis vires mirifice frangunt et infirmant. Eaedem sunt febres intermittentes, quae diuturnitate sua visceribus infimi ventris, maxime lieni et hepati tantam vim inferunt, ut a sanguine lymphaque, nimias in iis propter debilitatem remoras habente, tumeant, imo tandem a legitima sua fabrica miris modis prorsus degenerent, atque sic hydropem tabemque adducant.

Ab tempestatis vicissitudine autumno solemni plurimorum morborum origo repetenda est. Dum in cutem imprimis inique agit haec autumnalis tempestas, membranas omnes, quas mucosas dicimus, irritat, affectiones catarrhales, rheumaticas, arthriticas et efflorescentias cutaneas, inter morbos autumnales militare, sponte patet. Haec frigida et inaequalis tempestas in causa est, cur phthisici tabidique, hydropici, omnesque longiori morbo exhausti, circa hoc anni tempus fato suo fungantur.

Praeterea nervis et cerebro imprimis inimica esse consuevit extrema pars autumni, tempestatis inconstantia, frigiditate et humiditate insignis, quae exitiosis nebulis solis splendorem offuscat, lucique aditum intercludit. Fit hoc tempore, ut singularis languor sensiliores homines occupet, cerebrum, mentis officina infirmetur, imo interdum turbetur. Hinc fit, ut nonnulli, taedio vitae in pectore dudum recluso et nutrito, subito demum victi voluntaria morte e vita excedant; hoc anni tempore saltem in Anglia autochiriae exempla frequentiora videntur. Certe illa tempestate homines hypochondriaci ineffabiles suas molestias acerbius persentiunt, mulieresque, quas histericas dicere consuevimus, accessionibus morbi sui frequentioribus et vehementioribus anguntur. Quapropter horrendum hocce anni tempus non tantum medicis, sed etiam profanis, pessimum semper audivit.

Certum tamen et exploratum est, bilem et mucum in autumnalibus morbis praecipuas partes agere, ita quidem, ut autumno aestati proximo bilis, mucus autem autumno adulto hiemique vicino accumuletur et excernatur.

Recensitis tantis, quibus saluti hominum insidiatur autumnus miseriis et aerumnis, injustum foret, omnem huic anni tempori salubritatem denegare. Etenim autumnus provectus siccior, si moderamine et constantia coeli insignis est, sanitati favet, et homines ad hiemem melius ferendam disponit.

Constitutio hiemalis.

Ventres hieme et vere sunt calidissimi.

Hipp. Aph. XV.

Hieme vero pleuritides, peripneumoniae, lethargi, destillationes, raucedines, tusses, dolores pectoris, et laterum, et lumborum, et capitis dolores, vertigines, apoplexiae.

Ejusd. Aph. XXIII.

Aquilo sanum corpus spissat et mobilius atque expeditius reddit.

Cels. Lib. II. cap. I.

§. 12.

Hiems prima influxu suo in oeconomiam animalem ab illo autumni extremi vix discrepans morbis notam catarrhalem et rheumaticam leviorem imprimit. Hiems, acmen consequuta, sicca et aquilonia, sive frigida vires corporis humani non tantum physicas augere videtur, sed et vitales per aliquod saltem tempus excitat, eamque ideo corpori proclivitatem communicat, quae in inflammationes concipiendas prona est. Hieme calor corporibus innatus animalis et organorum digestricium functio intenditur; viget ciborum appetentia, digestio facile succedit, sanguis paratur veluti meracior et efficacior, in quo ex vena sani hominis misso saepenumero conspicua fit membrana illa inflammatoria

sive pleuritica, quam propter miram tenacitatem, ut cultro vix scindi possit, ex pituita hieme abundatiori declararunt veteres. Hieme aëre quoque frigido ab effluviis puro et oxygenio divite sanguificatio potissimum per pulmones et proin corporis nutritio promovetur; vis solidarum partium et vasorum contractio augetur, verum ex hac causa egestiones naturae solennes necessariaeque, maxime alvinae tardantur et cohibentur. Vigent vires musculares, vigent sensus omnes, auditus acuitur ab aëre quoque frigido, plus elateris habente, sonumque facile propagante. Quae moderati frigoris efficacitas ad acuendos sensus per corpus fere ad mentem transit. Ita fit, ut tempestate aquilonia ingeniosius ratiocinemur, memoriam experiamur promptiorem, omnesque sensus vigilantiores.

Haec hiberna corporum constitutio efficit, tum, ut ex frigore improvide admisso inflammationes nascantur, tum, ut morborum constitutio, quam medici vocant inflammatoriam (sthenicam), hieme principatum teneat. Regnante igi tur constitutione inflammatoria in variis hominibus aut caput, aut thoracis, aut abdominis viscera vario modo adficiuntur, ut tot esse morbos diversos existimes, quot adsunt diversa symptomata, quarum tamen affectionum eadem origo, cura eadem, antiphlogistica nempe. Horum morborum enumerationi supersedendum censeo.

Momenta constitutionem annuam modificantia.

Hae sunt constitutiones, quae nostris in regionibus singulis anni temporibus competunt. Noscuntur autem plura momenta, quae his constitutionibus modificandis paria inveniuntur. Sunt:

Insolitae tempestatis rationes per totum fere annum perdurantes.

Contingit nonnumquam, ait **Haeberl**, ut tempestatis ratio, quae uni constitutioni propria est, protrahatur in proximam stationem vel ultra quoque, ut similis ferme per totum annum tempestas obtineat.

Sic constitutio inflammatoria per totum annum stationem habet, si quando acris hiems fuerit, in ver pariter frigidum excurrens, subsequuta aestate frigidiuscula potius, quam calida, autumno aquilonio totum circuitum claudente.

Si tempestas humida, qualis verno et autumnali tempore vigere solet, per hiemem et aestatem continuatur, tunc toto anno humor pituitosus dominabitur, per totumque annum pituitosae febris imperium extendetur, et si per plures annos hic atmosphaerae status perennat, per plures quoque annos eamdem stationem occupabit.

Bilis stationarie dominabitur, si tempestas, quae aestatem insignit, per reliqua quoque anni tempora procurrit. Quod si enim fervida aestas fuerit, quae, quum toto autumno incanduit, intermedia hieme ac vere mollibus tepidisque potius, quam frigidis, cum proximi anni aestate conjungitur, tunc constitutio biliosa per integrum circuitum solarem statione in populum grassabitur.

II. Genus epidemicus stationarius.

Etenim saepe saepius anni tempus est idem, eadem tempestatis conditio, eaedem causae endemicae, eadem vivendi ratio etc. et tamen morbi forma et natura diversi stirpem humanam adoriuntur, quales alias anni temporibus vix competunt. Causa in genio morborum stationario mutato radicatur et ab hac mutatione oritur haec constitutionis annuae diversitas. Sic apud **Kletten**: „Das Standfieber hat auf die Witterungsfieber den grössten Einfluss." Sed ipsa

constitutio anni temporis in genium stationarium quoque reagit, hujusve influxum vel sufflaminat vel intendit. Sic teste Haeberl aliquando genius stationarius dominabatur putridus. Nihilominus morbi hieme tunc temporis frigidissima exsurgentes inflammatorii repetitas venaesectiones sibi expostulabant. Hinc genius stationarius et genius annuus junctim morborum curandorum indicationes suppeditant.

III. Zonarum diversitas.

Zonis australibus est vernale tempus per se breve, sed aestas longa siccitate aëris vix ab autumno differens, aër ipse nonnisi vegetatione exhausta et messibus absolutis, vel residuis stipulis super solo combustis nocivus; hiemis loco est pluvia assidua, unde plurimi morborum nostri coeli ignoti, alii vero nobis levissimi, aestate provecta et autumno gravissimi, naturae facultate medicatrici non sufficiente brevissimo tempore lethales, et crises violentissimae, profluvia sanguinea, morborum biliosorum transitus in nervoso-putridos rapidissimus, et hiemali tempore morborum catarrhalium rapidus in suppurationem progressus.

Zona intertropica mala prima summo gradu refert tempore pluvioso; sicco vero sanitatem mox restituente et morbos epidemicos devastantes praescindente.

In zonis polaribus est sanitas ipsa ad inferiorem gradum restricta, et sic et vivendi ratione morbi hiemalis ibi mitigantur, quare maxime qua chronici pejores fiunt, aestivi vero vere deficiente parcissimi et potissimum gastrici sunt.

IV. Clima terestre.

Clima planitierum depressarum et locorum elatiorum clima collinum, subalpinum et alpinum, clima regionum paludosarum, ad flumina et maria adjacentium, clima insularum marinarum etc. in constitutionem annuam influere, vix in memoriam revocare oportebit, quod vero fusius explanare arcti dissertationis limites non concedunt.

Existunt adhuc nonnulla momenta genium annuum mutantia sed minus gravia, quorum ex eadem causa nulla fiet mentio.

Prognosis.

§. 14.

Generalem de constitutione annua tractatum scripturus, generalia nonnisi *prognostica* ex praegressis repetita, ne hiatus oriatur, paucissimis verbis subjungam.

Si anni tempora legitime sese excipientia cum tempestatibus cuilibet normaliter convenientibus, neque intensitate nimia excedentibus neque justo diutius perdurantibus incedant, optima quaeque et sanis et aegris auguraberis.

Si vero anni tempora tempestatis inconstantia, magnis et subitaneis ejus mutationibus denotentur, si tempestas aliqua ad unum anni tempus minime adstricta plurimam anni partem occupet, malam praedices anni constitutionem, utpote morborum popularium feracissimam, imo haud raro propter pravos morborum mores malignam.

Therapia.

§. 15.

Non tantum in sanitate restituenda, verum etiam in ea conservanda exacta constitutionis annuae cognitio necessaria est; si enim, in quos morbos ex natura constitutionis annuae dispositi sumus, sciverimus, facile erit, totam vivendi rationem, et si necesse, ipsa remedia talia seligere, quae huic dispositoni tollendae et causis occasionalibus removendis aut saltem evitandis sufficiunt. Discedit vero omnis therapia in *prophylacticam* et *curativam*.

Quoad *primam* praeclare disseruit Haeberl. Adcurata constitutionis annuae non solum in morbis cognoscendis curandisque medentem, ut acus magnetica nautas dirigit, sed et praecepta saniora suppeditat, quibus tempestatis temporisque morbum averruncare possis. Communissima eaque omnium tutissima prophylaxeos regula, quae in omni quacumque epidemia princeps est, ea est, ut occasio ad

morbum religiose vitetur, i. e. omnis quicunque notabilis in sex rebus non naturalibus excessus; animum proin a saevis turbis religiose contineas, cruditatem primarum viarum praecipue vites; vites nimiam esculentorum potulentorumque ingurgitationem; caveas vero, ne nimium in diaeta tua religiosus sis, ne valetudinem, quam nimiam colis, vel inde alteres, attritamque epidemico hosti offeras; noli aliquid insoliti metu morbi agere; cave etiam a remediis pharmaceuticis sanus, a purgantibus, emeticis, cardiacis, sudoriferis etc., ne, dum averruncare morbum studeas, eum invites, dum epidemicae dispositioni occasionalem causam imprudentur subdideris.

Quo semper cum sanitate eras usus vitae regimine, eo, nil metuens, uti perge. Particularia haec ferme sunt: Regente bruma ac primo vere, moderato calore cubiculi, idoneo vestitu, diaeta humectante, diluente, tenuiori, tepida utendum; in iis, qui ad inflammationes praecipue proclives sunt, ut omni hieme inflammatorium morbum patiantur, consulto tamen medico, venaesectiones prophylacticae, si alibi usquam, celebrari poterunt. Quo tempore humor atmosphaerae dominatur, cardiaco victu cum emolumento uti poteris; corpus imprimis renovatis ac siccis vestibus probe muniendum, ne perspiratio inhibeatur, aucta resorptione, quo facto corpus inerte pituita obruatur necesse est; exulet tepida muliercularum sorbitio. Aestate sedulo caveto, ne calore corpus peruratur, ne sudore nimio diffluas, cave praecipue, ne sudorem subito rejicias, refrigerato derepente corpore; non temere hinc, si ab exercitio corporis incalueris, vestes abjicies, ac umbras petes; rorante nocte sub humido die minus bene tecto corpore non versabere, probe hoc praecipue tempore memor Sydenhamiani effati, qui incauto vestitu et admisso intempestive corpori frigore, plures quam peste et gladio et fame insimul omnibus periisse pronuntiavit.

Altera potentiis constitutionem annuam mutantibus aliisve momentis sat bene multis abundeque notis modificanda nonnisi generalis indigitari potest.

Regnante constitutione *inflammatoria*, qualem hiems consuetim secum gerit, therapia antiphlogistica omnibus aliis medendi methodis palmam eripit. In morbis inflammatoriis largae et repetitae fiunt venaesectiones omniumque remediorum in antiphlogisticorum tribu militantium largus instituitur usus. Si morbi cachectici, nervosi remedia roborantia, nervina nonnumquam poscunt, haec ipsa parca nonnisi manu exhiberi possunt.

Tempore vernali, si, quae hieme viguit, constitutio in id quoque protrahatur, eodem remediorum genere utimur. Ceterum remedia tempore vernali maximo cum emolumento usitata haec ferme sunt: succi plantarum recenter expressi, vel si hi haberi non possunt, decocta ex iisdem plantis bene praeparata et rite adhibita; aquae soteriae diversae, morbi et aegri rationibus individualibus adaequatae, cum hae nullo alio anni tempore e sinu naturae tanta energia vitali scaturiunt inque corpus organicum agunt; balnea pro morbi et aegri natura, singulisque rationibus variis varia; denique serum lactis, variis corrigentibus et constituentibus modificatum, sub coelo sereno siccoque, corporis motione modica animique exhilaratione adhibitum, cui usui praeprimis adrident loca in regionibus illa, ubi omnia concurrunt, quae palingenesiae corporeae et psychicae favent.

Dum constitutio *biliosa*, qualem aestas parturit, dominatum tenet, methodus antigastrica principalis fit. Emetica et purgantia tunc magnam in praxi adquirunt dignitatem. Etiam solventia magni sunt momenti, acidula et salina.

Si constitutio *bilioso - pituitosa*, qualis autumnum insignit, primas agit partes, tunc eadem remedia, sed quidquam fortiora in usum vocantur. In utraque vero monendum, ut remedia solventia non nimis diu continuentur, in inflammationibus venaesectio cum debita instituatur moderatione, semperque virium ratio habeatur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Membrana conjunctiva bulbi et oculi membrana sui generis.

II.

Mollusca insectis quoad organisationem nobiliora.

III.

Medicamentorum munus et res diaeteticae obeunt.

IV.

Medicus brevi, ast exactae et solidae studeat materiae medicae.

V.

Medicus saepe ad veritatem reticendam obligatur.

VI.

Alia prognosis aegro, alia adstantibus facienda.

VII.

Tanta vis est constitutionum! — — —
Nollem esse medicus absque hoc duce.

Stoll.

VIII.

Laryngotomia in angina membranacea raro exoptato coronatur successu.

IX.

Autumno sunt humores viscidiores, quam vere.

X

Haemorrhoides fluentes nonnisi relativum portendunt significatum criticum.

XI.

Medicinae et chirurgiae divortium in perniciem aegrorum.

XII.

Autumnus longe periculosissimus, ver autem saluberrimum.

Hipp. Aph. IX.
